



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

LVI. Vt amplius sorores non habeantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

LIII.

*Vt infirmis necessaria semper dentur.*

Procuratoribus vero infirmantium omni obseruantia atque peruigili cura præcipimus, vt quæcumque sustentationi diuersarum infirmitatum sunt necessaria fideliter ac diligenter iuxta domus facultatem eis administrent, verbi gratia, carnem & volatilia, & cetera, donec sanitati restituantur.

LIV.

*Vt alter alterum ad iram non prouocet.*

Præcauendum nempe non modicum est, ne aliquis aliquem commouere ad iram præsumat, quia propinquitatis & diuinæ fraternitatis tam pauperes quam potentes summa clementia æqualiter adstrinxit.

LV.

*Quomodo fratres coniugati habeantur.*

Fratres autem coniugatos hoc modo habere vobis permittimus, vt, si fraternitatis vestræ beneficium & participationem petunt, vterque suæ substantiæ portionem, & quidquid amplius acquisierint, vnitati communis capituli post mortem concedant, & interim honestam vitam exercent, & bonum agere fratribus studeant, sed veste candida, & chlamyde alba non incedant. Si vero maritus ante obierit, partem suam fratribus relinquat, & coniux de altera vitæ sustentamentum habeat: hoc enim iniustum consideramus, vt cum fratribus Deo castitatem promittentibus fratres huiusmodi in vna eademque domo maneant.

LVI.

*Vt amplius sorores non habeantur.*

Sorores quidem amplius periculosum est coadunare; quia antiquus hostis femineo consortio complures expulit a recto tramite paradisi. Itaque, fratres carissimi, vt integritatis flos inter vos semper appareat, hac consuetudine amodo vti non licet.